THESES

EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

PROPUGNANDAE

APUD PATRES SOCIETATIS JESU

AD S. SEBASTIANI

DIE 11 MENSIS Jul

MANE HORA 6½ A PRANDIO HORA 5

ANNO 1833

FACTA CUILIBET POST TERTIUM OBJICIENDI FACULTATE.





NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA FIBRENIANA
1833.

THESES

EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

EX LOGICA ET ONTOLOGIA

I.

Philosophi munus est, non quidem omnia demonstrare, quod processum in infinitum induceret, sed ea quae immediatae evidentiae lumine non praefulgent, per principia illustrare, quae suo se lumine manifestent.

II.

Actus quisque naturalis scientiae ultimo completur per evidentiam intellectus inspicientis repugnantiam, vel connexionem propositionis demonstratae, cum aliquo principio per se noto; de universarum itaque scientiarum firmitate illis philosophis dubitandum fuit, qui in evidentiam principiorum fallaciam aliquam irrepere posse suspicati sunt.

III.

Non tamen jure inferet individuum de veritatibus

naturalibus supremum esse disceptatorem, et judicem falli nescium; quocirca falso sentiret, qui principiorum evidentiam obtendens, opinionem tueretur ab universali hominum consensione reprobatam.

IV.

Qui cum Lockio, Condillachio et Tracyo ab abstractionibus abstinendum esse suadent, scientiarum indolem, intellectusque naturam inscite confundere, aut subdole destruere connituntur, quum objectum intellectus humani, sive quoad rem, sive quoad modum, sive quoad finem supra materiam, ejusque proprietates constitutum sit.

V.

Notionem omnium primam, atque evidentissimam, quam a rebus sensibilibus abstrahit intellectus humanus, in idea entis consistere asseveramus; quidquid Kantius aliique cum Rosminio in contrarium objiciant (*a*): principium vero omnium primum, et evidentissimum in illo effato contineri defendimus = *Idem non potest simul esse, et non esse* = non autem in Cartesiana sententia = *Cogito; ergo sum* =, neque in Cartesianorum pervulgata propositione = *Quidquid in alicujus rei clara, et distincta idea continetur, vere*

(a) Nuov. Saggio su l'orig. dell' Idee vol. 3 p. 25 Ediz. Rom. 1830.

de illa affirmari potest = ; neque tandem in Leibnitziana, seu verius Platonica positione = *Nihil fit sine ratione sufficienti* = primi principii dignitatem agnoscimus.

VI.

Quicquid est, *unum*, *verum*, et *bonum* est (*b*): porro ens quatenus indivisionem includit, *unum* audit, prout ordinem aliquem ad intellectum involvit, *verum* nuncupatur; in quantum vero idoneum est cujuspiam appetitui a natura ingenito explendo, *boni* rationem induit: prout denique intellectui objicitur, ut debitae proportionis objectum, *pulchrum* appellatur: hinc *unum* ens indivisum significat, *verum* adaequationem innuit rei ad intellectum (*c*), *bonum* est, in quod omnia tendunt, *pulchrum*, quod vim ad apprehendendum natam suavitate permulcet.

VII.

Rerum essentias, prout hae nondum existentiae ordinem subiere, ita pendere dicimus ab intellectu Dei naturam ipsam divinam perfectissime comprehendente, ut in absurda Dei non existentis hypothesi, sicut ve-

---

(b) S. Aug. lib. 1 de Morib. Manich. c. 6. lib. 9. Conf. c. 10. lib. 3. de lib. Arbitr. c. 7.

(c) Soirées tom. 1.° p. 134 Maistre, Anvers: 1821.

ritas earumdem de medio tolleretur, ita ex sententia Leibnitzii (*d*), a Cudwortho ipso approbata (*e*), essentiae omnes deficerent.

VIII.

Quamvis ultro concedendum sit rerum essentias intellectui humano immediate non patere, tamen paululum consideranti constabit, ex diversis operationibus, ac proprietatibus, contra ac Lockio visum sit, diversas naturas et essentias tuto conjici posse; operationes autem, modosque universos a substantiis ipsis differre ratio, et experientia suadent, atque ideo verba Leibnitzii usurpamus, = *consultum erit cavere ne substantiae cum accidentibus confundantur.* =

IX.

Quemadmodum *existentia* est complementum entis in linea *entis*, ita *subsistentia* est complementum entis in linea *substantiae*, quae prout *subsistentia* gaudet *suppositum* dicitur, et a *natura* re ipsa distinguitur; pulchre autem definiri a Boetio suppositum existimamus = *Naturae completae individuam substantiam* = quae si intelligendi vi praedita sit, *persona* nuncupatur.

(d) In causa Dei asserta §. 8.

(e) Syst: Intellect. c. 5.° Moshem. in not. ad loc. cit. Cudworthi

EX PSYCHOLOGIA.

X.

Probatam a melioris notae philosophis causarum partitionem,✝ *materialem*, et *formalem* suscipientes, in ipsis non modo spiritibus, verum etiam corporibus universis agnoscimus principium aliquod activum (*f*), ratione cujus, aliqua vi et operatione eidem principio proportionato instructa sint; quidquid Malebranchius, et Occasionalistae asseruerint a communi hominum consensione recedentes.

XI.

Etsi inquisitio de idearum origine, et natura inter praestantiores, quae agitari solent quaestiones, merito habeatur, illorum tamen sententiam vehementer improbamus, qui cum recentioribus Idealistis universam ferme philosophiam in scientia de ideis contineri autumant: cum hominem natura mediis instruxerit, quibus rerum scientiam certo assequi posset.

XII.

Hypothesim scepticam Humii de idearum origine re-

(f) Cuvier le Regne Animal tom. 1.° p. 19. Paris 1817.

✝ in finalem, efficientem

probamus, nec non opinionem Reid asserentis, cognitionem corporum a sensationibus tamquam a causis non pendere, tum etiam rejicimus Condillachianam sententiam omnino repetentem a physica sensibilitate notiones abstractas; quas cum Cl. De Bonald (g), ac Gerdilio a singulorum collectione distinguendas esse propugnamus: sensus autem asserimus virtuti intellectuali objicere quodammodo materiam, in quam intellectus vi sibi ingenita agens, rerum notiones a materia, ejusque adjunctis abstractas excipiat.

XIII.

Contra nonnullos aetatis nostrae philosophos duplex principium activum in homine, animam videlicet, et spiritum, temere obtrudentes, defendimus inter animam rationalem, et corpus eam unionem intercedere, ut ex utroque non unitas accidentalis resultet, sed substantia physice una, licet composita, nimirum animal rationale constituatur.

XIV.

Vitalitatis principium in quibusque viventibus non est recensendum, ut Bufalinius cum Fitche, et Schelling asserere visi sunt, inter secundarias corporum proprietates, sed ita in materia est, ut per illud eveha-

(g) Essai su la Loi Naturelle

tur ipsa, scite animadvertente Vyreio (*h*) cum Lamarckio, ad ordinem specie diversum ab eo, cui substantiae inorganicae subsunt.

XV.

Quae naturae semetipsas agunt intrinsecus ad motus multiplices, praestantioresve operationes, vivere dicuntur: diversos proinde obtinere in entibus vitae gradus perfectiores, imperfectioresve, prout operationes ab intrinseco magis minusve procedunt, supremumque rerum omnium auctorem Deum vita perfrui perfectissima, imo esse ipsam vitam, vel leviter consideranti patebit.

XVI.

Contra Occasionalistas asserimus cum universo humano genere, bellŭas principio physicae sensibilitatis instructas esse, quod quidem in materia est (*i*) (Cl. Cuvierii ac Maistrii dicendi modum sequi liceat), sed ipsum materia non est, et substantiam constituit vitalitate, ac sensibilitate donatam.

XVII.

Nisi naturam humanam cum belluina confundere au-

(h) De la Puissance vitale Paris. 1823

(i) Le Regne Animal. Paris 1817. tom. 1. Introd.

deas; quemadmodum tentare, sed irrito nisu, aggressi sunt Tracyus (k), et Gioja, Condillacbianam methodum secuti, physicam sensibilitatem ab intellectualibus facultatibus probe secernas oportet.

XVIII.

Contra Berkeleyum, ceterosque idealistas ostendimus sensus quosque rite dispositos circa objecta sibi propria non decipi; nec minus hominum consensioni, quam certissimis physiologorum observationibus adversari affirmamus cum Cl. Berardo (*l*), tum illos, qui censent sensationes omnes in uno cerebro perfici, tum etiam, qui statuunt unam animam percipere objecta, quae patent physicae sensibilitati.

XIX.

Cum ad objecta immaterialia intelligenda animus humanus factus sit, ab omni eo, quod ex terra coalescit, latissimo intervallo discedit; porro ea sunt de substantia corporea nobis perspecta, ut affirmare contra impudentiam Lockianam (*m*) jure possimus, intelligendi vim omnino corporibus repugnare.

(k) Ideologie Desth. de Tracy.

(l) Rapports du Physique et du moral §§. 46. 56. 36. etc. Paris 1823.

(m) Essai sur l'entendement humain.

XX.

Contra Hobbesium, et Helvetium affirmamus, hominem circa objecta omnia, quae sunt a fine ultimo distincta, quaeque cum ipso fine necessariam evidentemque connexionem non habent, libertate indifferentiae gaudere.

XXI.

Naturae immateriali existentiam ita convenire asserimus, ut eam si semel obtineat, nunquam dimissura sit; hinc rite procedere, qui sic arguit = *anima humana est immaterialis; ergo incorruptibilis, et immortalis; ergo vita sempiterna fruitura.*

EX THEOLOGIA NATURALI

XXII.

Cum id quod est per participationem procedere necessum sit ab eo quod est per essentiam, illud plane consequitur; res omnes certis finibus circumscriptas, ab eo, cujus Essentia est ipsamet Existentia (n), a Deo videlicet, tamquam a prima omnium causa processisse.

(n) S. Th. 1. P. q. 7. a. 2.° ad 1.° Gerdil. Card. Praefat. ad Dissert. de Exist. Dei.

XXIII.

Deum proinde simplicissimum (o), ac simpliciter infinitum esse demonstramus, perfectionesque in Deo, nec ab invicem discriminari ita ut una simpliciter non sit altera, neque ita ab essentia divina distingui, ut unaquaeque adaequate non sit id ipsum, quod Deus est.

XXIV.

Ex illa divinitatis conditione, qua est *summum magnum*, unitatem divinae naturae cum Tertulliano colligimus, tum eam esse ejusdem simplicitatem tuemur, ut unitatem absolutissimam Deum sibi vindicare jure merito inferamus.

XXV.

Cum immaterialitatis gradui, ut recte Gerdilius perpendit, (p) intelligendi virtus respondeat; Deus utpote summe immaterialis, perfectissime intelligere dicendus est, et cum implicet, naturam quae sit ad intelligendum nata, carere voluntate, fateamur oportet, Deum suam bonitatem, ut finem, naturaliter velle, cetera vero ad finem ipsum ordinata libere eligere.

(o) Vid. Epoch: della Relig: vol. 4.° appendie: Vinc: Giorgi S. J.
(p) Vid: L'orig: del Senso morale.

XXVI.

Creaturam repugnare affirmamus, quae a Deo virtutem recipiat conservandi se ipsam; quocirca « divina « virtus (magni Augustini verba referimus) (q) ita « omnibus necessaria est, ut si ab iis, quae creata sunt « regendis, et conservandis aliquando cessaret, simili- « ter cessaret, eorum species, omnisque natura con- « cideret. »

XXVII.

Rationem dirigentem in finem juxta debitum ordinem vilia, ac nobilia, infima, et summa in Deo agnoscendam esse, non modo bona, sed mala ipsa suadent: quapropter contra Baylium, ceterosque divinae providentiae osores distinctionem, ac diversitatem naturarum, et in multiplicitate, ac diversitate unitatem (unde rerum universitas dicta est) a divina providentia repetendam esse affirmamus.

(q) De Gen. ad lit. 12 lib. 4.° Suarius Metaph. Disp. 21. sect. 1.

THESES

EX ETHICA, ET JURE NATURAE

XXVIII

Cum summum bonum, vel felicitatem naturaliter appetat is, qui ratione, sive intellectu praeditus est, hominem ad felicitatem natum inficiari, idem est ac rationem homini denegare, et scientias propterea omnes, virtutes, leges, ac mores hominum penitus evertere.

XXIX.

Verum cum nulla res a semetipsa divelli possit, ratio quae ad hominis essentiam intrinsece pertinet, et beatitudinis appetitus, qui ex ratione eadem necessario profluit, nullatenus ab homine sejungi potest.

XXX.

Porro, quum inter multiplices facultates, quibus homo praeditus est, ordo intercedat, inclinationes naturales facultatum inferiorum, quae aliquo pacto subjiciuntur rationis imperio, ita ab homine coercendae sunt, ut in ipsarum operationibus, prout rationis bonum postulat, dirigantur.

XXXI.

Cum autem homo, ut pote ens evidentissime participatum, non sit infinitum, ac increatum bonum, eos omnes, qui, quidquid homo praestet, saltem praecipue ac semper intuitu sui hominem praestare contendunt, longe a vero recedere existimamus.

XXXII.

Neque vero minus aberrant qui homini ultimum finem inquirenti facultatem adimunt praescindendi a perfectione, quae ejus sit, et quae ei tamquam verum accidens adhaereat, perinde ac felicitatis objectum ab ipsiusmet consecutione, atque a gaudio inde enascente intellectus non secerneret, et objectum beatitudinis consecutione ejusdem, et gaudio praestantius atque optabilius esse non dignosceret.

XXXIII.

Inter bruta porro recensemus homines, qui dignitatem suae naturae proculcantes, cum antiquo Epicuro, ac nuperrimo Bentamo hominis finem in sensuum voluptate reponunt.

XXXIV.

Si homo per actus suos consequi debet beatitatem, non nisi per actus, qui a naturali necessitate liberi sint, eam consequi posse defendimus. Cum autem hi actus ejusmodi sint, ut hoc, vel illo modo possint se habere, necessario hominem lege indigere, ut eam felicitatem possit adipisci in compertis habemus. Non caret ergo lege homo, quia liber est, legem immo habet, quia liber est.

XXXV.

Lex vero, qua potissimum eget homo, non nisi naturalis est; haec enim, si ab homine auferatur, quemadmodum certo ab eo auferunt ii, qui leges, et cognitiones omnes a revelatione divina saltem primitus derivant, nulla amplius lex potest in homine obtinere.

XXXVI.

Insuper cum homo, et propter modum quo recipit vitam, et propter physicam sui corporis compositionem et vel maxime propter intellectuales facultates, quibus instructus est, ad civilem societatem, contra id quod stultissime defendit Rosseavius, hujusque hominis deliri asseclae permulti, natus deprehendatur, praeter legem naturalem, civilem quoque ei necessariam esse evidentissima res est.

XXXVII.

Cum a singulorum hominum, ex quibus coalescit societas, auctoritate, potestas, qua multitudo in officio contineatur, nec primario, nec secundario repeti possit; originem potestatis hujusce, utpote quae summe indivisa, maximeque universalis sit, ab eo unice tamquam a vera causa derivamus qui summe indivisus est, ac maximum Ens, videlicet ab uno Deo.

EX PHYSICA.

XXXVIII.

Extensio, qua naturalia corpora praedita esse videmus, ejusdem est rationis ac geometrica. Cum autem proprius geometricae extensionis character sit partium continuatio, sequitur inde, corpora naturalia continua esse, nimirum actu quidem indivisa, dividua tamen in infinitum.

XXXIX.

Extensio, seu trina dimensio, proprietas est substantiarum corporearum. Quare si extensionis naturam probe intimeque teneamus, difficile inde non erit ad earumdem naturam animo conspiciendam assurgere.

XL.

Extensionem sequitur mobilitas quoad locum. Ubi occasio nobis se offert solidiores quasdam vestigationes aperiendi circa motus, visque motricis naturam. Postremo rationem dabimus unde fiat, ut perfecta motus causa in spiritibus tantum inveniatur, quin cum nonnullis hodie philosophis omnem corporis activitatem eripiamus.

XLI.

Praecipuae motus leges ad has facile rediguntur.

1.ª Quaeque vis motrix, cui, corpus natura sua sit indifferens, movet corpus uniformiter et in directum, ita ut uniformitatis, vel directionis rectae immutatio, vel etiam motus cessatio ab aliis causis sit repetenda.

2.ª In virium motricum, queis solida corpora urgentur, collisione, actioni aequalis opponitur et contraria reactio.

XLII.

Intensio et directio resultantis ex duabus viribus angularibus, et ad instar linearum rectarum consideratis, exhibetur geometrice per parallelogrammi supra illas rectas descripti diagonalem angulum virium intersecantem.

Ex quo plurium virium compositionem in unam, et vicissim unius vis in plures resolutionem sive geometrica, sive analytica methodo juvat inferre.

XLIII.

Ex aequilibrii legibus paucas hasce libamus.

1.ª Utcumque punctum aliquod liberum a viribus urgeatur, librabitur illud, si resolutis viribus in tres orthogonias X, Y, Z, obtineant aequationes

$$X=0\ ,\quad Y=0\ ,\quad Z=0.$$

2.ª Si punctum fulcro innitatur, aequilibrium sub-

sistit, quaecumque fuerint vires motrices; harumque resultans dabit pressionem in fulcrum.

XLIV.

Motus uniformiter acceleratus, qui gravium verticaliter, et libere descendentium proprius est, sequentibus concluditur legibus.

1.ª Velocitas est in ratione directa simplici temporis.

2.ª Spatium sequitur rationem directam duplicatam sive temporis, sive velocitatis.

3.ª Spatia confecta temporibus in numerorum naturalium ratione procedentibus, sunt ut eorumdem quadrata.

4.ª Spatia descripta temporibus aequalibus et successivis sunt uti numeri impares ducti in seriem ab unitate.

5.ª Absoluto a mobili spatio s per tempus t cum vi constanter acceleratrice g, et adepta in fine temporis velocitate v, si pergat illud adhuc conficere spatium s' per aliud aequale tempus t motus uniformi, spatium s' duplum erit spatii prioris s.

XLV.

Motus uniformiter retardati, qualem gravia concipiunt verticaliter ascendentia, proprietates ad has facile rediguntur.

1.ª Velocitas mobilis post tempus t est tempori,

quod superest ad finem motus, proportionalis.

2.ª Spatia conficienda usque ad motus extinctionem sunt inter se ceu quadrata sive temporum residuorum sive velocitatum.

3.ª Totum spatium confectum tempore T est dimidium illius quod mobile confecisset si celeritate initiali nequaquam attenuata per aequale tempus uniformiter motum fuisset.

4.ª Extincta post tempus T velocitate mobilis initiali, si vis acceleratrix pergat adhuc agere in corpus, hoc movebitur motu accelerato per semitam pristinam redeundo, ita ut post finem alterius, et aequalis temporis T perveniat unde discessit, acquisita ibi celeritate initiali, ad oppositam tamen plagam.

XLVI.

Affectiones motus gravium in plano inclinato labentium ab hac una fere dependent.

Velocitates v, v' et spatia s, s' aequali tempore acquisitae vel confecta a duobus gravibus, altero per lineam verticalem, altero per planum inclinatum descendente, sunt inter se ut longitudo plani ad altitudinem.

XLVII.

Ex qualibet superficie vel linea continue curva, sive concava; sive convexa grave aliquod demittatur, id ab una extremitate ad aliam transeundo eamdem

sibi comparat velocitatem, quam alias acquireret per illius altitudinem delabendo.

XLVIII.

Benemereri nos de fluidorum natura videmur si in eorum indolem inquirentes indubitanter dicamus, ea esse omni ex parte continua; eorum vero sive condensationem, sive rarefactionem non esse a pororum vel contractione vel apertione petendam.

XLIX.

Lucis atque opacitatis indolem intimius rimati quid verisimilius de ab lita colorum natura dici possit in medium proponimus. Hos igitur ex admixtione opacitatis cum luce (quae duo colorato cuique corpori ingenita esse putamus) duximus repetendos. Hinc colorum species in infinitum variari; hinc versicolores aspectus corporum nonnullorum ad Solem; hinc spectri solaris obvia, sponteque ducta explicatio.

L.

Qui fiat, ut colores alii ingrati, delectabiles alii videantur, ostendi facile potest ex admixtione opacitatis et lucis, non illa quidem qualicumque, verum ad numericas ex ordine proportiones exacta. Ex quo colorum consonantias, ac dissonantias ad modum similium in tonis musicis affectionum consideramus.